

5055

14.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
INFAMIA,

Ad Libri ff. 3. TITULUM II.
DIVINA SUMMI NUMINIS GRATIA
ADSISTENTE,

CLEMENTISSIMIS SERENISSIMI
PRINCIPIS
AUSPICIIS,

PRÆSIDE
NICOLAO MARTINI, JC.

ET ANTECESSORE PRIMARIO,
ACADEMIÆ PRO-CANCELLARIO,
SERENISSIMI DUCIS SLESVICI ET
HOLSATIÆ CONSILIARIO JUSTITIÆ,
PANDECTARUM & JURIS PUBL. PROFESSORE.

Mensis Aug. die
publice defendet

JOACHIMUS BURCHARDUS, Kiloniens.

KILONI,

Typis BARTHOLDI REUTHERI, Acad. Typogr. 1707.

Diss. jur. civ.

253, 24

1. 10. 1.

Diss. jur. civ. 170.

V I R O
PERILLUSTRI AC MAXIME STRENUO DOMMO
DOMINO
CHRISTOPH. JOACH.
GIESIO,
POTENTISSIMO DANORUM REGI
A CONSILIIS STATUS, ET QUÆSTORI
BELLICO SUPREMO ETC.


Patrueli ac Mæcenati suo

devote colendo
hasce

Studiorum suorum primitias sacras
esse jubet

Perillustris Nominis ejus
Cultor observantissimus.

RESPONDENS.



I. N. D. N. I. C.

PROOEMIUM



Ateriæ hujus cum præcedente Connexionem sive Continuationem, superioris de Postulando Tituli Lex ultima §. i. suppeditare videtur; Infames enim, sive, quemadmodum Ulpianus l. i. §. 5. d. t. loquitur, turpitudine notabiles, pro aliis postulare Edicto prohibentur. Et hac quidem de causa, quemadmodum *de postulando* materiam in Pandectis, *de his qui notantur infamia* Titulus immediate subsequitur, ita proximo, postquam de Advocatis actum fuit, loco, *de Causis, ex quibus infamia interrogatur*, Titulus in Codice conspicitur; qui, modo rem dicere liceat, alio commodiore ponи, & quidem, si quid nos judicamus, post titulum *de Pœnis*, debuisset.. Verum leviora & vacuas tantummodo mentes tenere digna videri hæc fortassis poterant. Quinimò integrum nobis haud quaquam esse, ad Edicti perpetui Ordinem (ita persuasum nonnullis est) compositam Pandectarum seriem turbare, pro nihilo foret *Zoilo*, criminari. Reetius itaque facturi videmur, si, quod edifferendum constituimus, Argumentum citra ambages statim ag-

Az

gredia-

grediamur: Quod ipsum felicius ut expediatur, quando quidem *infamia* nihil aliud est, quam *bonæ fame*, sive, quod in idem recidit, *Existimationis dispendium*, de *Aëstimatione*, eamque subsecuta *Existimatione*, pauca præfari, haud omnino inconveniens fuerit.

§. 1.

Astimare, est taxare, censere, judicare, pretium sive valorem indicare. Hinc æstimatio describi potest, actus, quo Personæ vel Rei alicujus, valor indicatur ac definitur. Verum cum illa, quæ Rerum esse dicitur, nihil hic nobis jam quidem erit negotii. Sit itaque Nobis, hoc loco atque, in præsenti Aëstimatio, Actus, per quem personæ aut hominis alicujus valor judicatur atque definitur. Hæc vero Aëstimatio quod respiciat, aut respicere certe debeat vitam personæ, hujusque consuetudines & inclinationes animalium, hæc vero Mores dicantur, moralis exinde dici consuevit; ex qua, utpote Causa Efficiente, (ut philosophorum formulas aut terminos non omnino aspernemur) Existimatio, tanquam Effectus, provenit.

§. 2.

Existimare est honorifice, præclare, de aliquo sentire ac opinari; hinc Existimatio ruditer saltem describi potest, Opinio, de Personæ alicujus valore, ab estimatione profecta; hæc, actus transeuntis, illa vero permanentis instar, habere se videtur. Moralium Consulti describunt Valorem personarum, per quam
hae contendit invicem atque comparari, aliisque vel præ-

præponi vel postponi aptæ sunt. Verum cum existimatio non possit dici ipse valor personæ, sed opinio de valore, recte pleneque definietur Opinio hominum, de valore personæ, ab ejusdem estimatione per alios factis proveniens, qua homines vel estimantur in vita humana, aut civili, vel invicem contenduntur ac comparantur secundum dignitatem, sive aptitudinem.

§. 3. non scribam, nisi tecum

Existimationis hujus fundamentum est Aëstimationis; quæ quidem si minus recte se habeat, neque, ut debebat, comparata, nullo prudentum testimonio suffulta, solo vulgi judicio nitatur, Existimatio quoque unà corruet, juxta illud vulgare; collapso fundamento, collabitur quod est superstructum. Placet, quod I. de Offic. Romanorum disertissimus scribit; qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hunc in magnis viris non esse habendum: Vera namque Existimatio, & uti Vates canit,

Laus à laudati provenit ore Viri.

Cui accedit, quod Existimatio sit Opinio de alterius vita & moribus, apud alium existens, per quam præclare, & honeste de altero, bujusque vita, moribus, & virtutibus quis sentit. Leviculus sane noster Demosthenes (verba sunt superius laudati Oratoris, V. Tuscul. Quæst.) qui illo susurro delectari se dicebat, aquam ferentis mulierculæ, ut mos in Gracia est, insuffrantiisque alieri; Hic est ille Demosthenes. Quid enim levius? At quantus Orator? sed apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipse secum. Ab hoc fundamento illa in veram, & falsam, Existimationis

A 3

divisio

divisio procedit, quarum illa quidem vero solidog^z fundamento subnixa est, hæc contra, nullo aut certe falso sustinetur, de qua vetus illud intelligi verbum debet: Multi famam habent, pauci merentur.

§. 4.

Postremò in *Simplicem*, & *Comparatam*, à diuersis, quibus considerari, aut spectari homines possunt, Modis, non omnino male dispescetur Exstatio. *Simplex*, (quæ & *Arithmetica* haut inepte forsitan diceretur) est, per quam homines considerantur, vel in *Statu Humanitatis*, ut nempe talis quis habeatur, cum quo, tanquam cum homine, legem Naturæ observante, possit agi; vel in *Statu Civitatis*, pro *Membro Societatis Civilis legitimo ut habeatur*. *Comparata* est, per quam homines considerantur nat^ræ, ut cum Philosopho loquamur, sive, ut clarius dicamus, quoad *præstantiam bonorum*, quibus in hac *Vita homines censemur*, & quibus alii permoventur, hos veneratione quadam speciali ut affiant, præq^z aliis honorabiles habeant. Sed quo dilabimur? & cur non ad id potius, quod præ manibus habemus, Negotium progredimur?

§. 5.

Huic, de qua breviter huc usque est actum, Exstimationi contraria est, aut, ut rectius dicamus, contrarie opponitur *Infamia*. A Fama descendere vocem hanc, dubio caret, Famam à Græco φήμη à fando alii deducunt, & Latinam proclaimant. Prius nobis placet. Vocem ipsam modò in bonam, non nunquam & in malam partem bonis Autoribus usurpari,

pari, notum est; nobis in præsenti idem, quod Existimatio, notat, quam *Jctus Callistratus l. 5. §. 1. de Extraord. Cognit. Dignitatis illæsæ statum* describit; qui quomodo postmodum lædatur, minuatur, consumatur, *d l. §. 2. & 3.* per exempla *Idem* declarat. Famæ læsio hæc, gravis præsertim, *Infamia*, particula *In significationem*, in hac compositione minuente, dicitur; de qua porro nunc & latius agendum.

§. 6.

Cum vero, quemadmodum Romanæ eloquentiæ Princeps, *Marcus Tullius I. de Offic.* eleganter ait, *omnis quæ ratione suscipitur, de aliqua Re Institutio, debet à Definitione proficii, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur;* consilium hoc nos etiam sequemur. *Bartholus ad d. l. 5. ff. de Extraord. Cognit.* haud dubie respiciens, describit, *laesæ existimationis statum, legibus & moribus improbatum.* Nobis est labes, sive Macula, turpi facto contracta, per quam Existimatio consumitur, aut saltē minuitur.

§. 7.

Et turpi facto provenire labem hanc, verbis exser-tis definitio facit indicium. *Turpe Criticis dicitur valde magnum, ac proinde deformē.* Hinc Poëta 3. Georg.

Optimatoræ

Forma bovis, cui turpe caput.

Moralium consultis, quicquid honestati aut decoro con-trarium est, turpe appellatur; hinc turpis conditio di-citur, quæ contra Jus & contra bonos mores est, *l. 1. 2. §. 3. ff. de Legat.* 1. turpe lucram, quod ab falso, aut

gra-

gratiosam sententiam, uti JC. Ulpiānus l. 5. pr. ff. de *Calumniat.* loqui amat, datum est; *turpis institutio*, quæ post humus ex ea, quæ alii nupta est, beres instituitur, l. 9. §. 1. de Lib. & posthum. *Turpes Personæ* dicuntur, famosæ ac in honestæ quæ sunt, ut meretrices, l. 3. ff. Si à parente quis manum. *Actiones turpes*, quibus infamia irrogatur, l. 5. ff. *Pro Socio.* Paucis ut agamus, quiquid infamiam infert, turpe dicitur. Erit itaque turpe factum, omne commissum, quod honestati adversatur, & cum dispendio famæ & existimationis conjunctum est.

§. 8.

Labe ista contaminati dicuntur *Infames*, nullo fere attento discrimine, factum istud, ex quo illa profluit, Jus ipsum notet, an honestorum virorum censuræ, quæ peccantis famam gravat, existimationemq; minuit, permittat. Huc itaque pertinebunt, qui quæve aut Edicto aut lege damnantur. Et quidem Edicto notantur, qui ab exercitu ignominæ causa dimisi sunt milites; qui artis ludicræ, pronunciandive causa, in scensam prodierunt; qui lenones, calumniæ, prævaricationisve causa publice damnati sunt; qui furti, bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, & fraude, suo nomine damnati aut pacti sunt; pro socio, tute læ, mandati, depositi; directo Judicio damnati. Mulier, quæ intra annum luctus, alteri nubens, festinas nuptias habuit, nisi permittente Principe hoc fiat, l. 10. pr. ff. b. t. ut & is, qui, antequam virum elugeret, eam in matrimonium alteri elocavit, aut sciens uxorem duxit; aut eum, quem in potestate habet,

da-

ducere passus fuit. Jure Canonicō mulieris intra tempus luctus nubentis, infamia, per licentiam, & autoritatem, Apostolicam scilicet, ab Urbano III. aboletur cap. 4. de secund. nupt. quem sequitur Innocentius III. c. 5. eod. Corrigitur Dispositio Juris Civilis, per quam mulieres intra annum luctus nubere prohibentur; verum Rationibus valde infirmis nititur ista Correctio, neque Apostoli sanctissimi mentem assecuti sunt isti. Ad secundas nuptias progredi viduas, non vetat jus Civile, cum sponsas fieri non prohibeat; sed intra tempus, quo elugere virum moris erat, sive antequam virum eluxisset, nuptias cum alio contrahere non permittit. Dispositioni huic non contradicit sanctissimus Apostolus, quando viduis ad secunda vota transeundi jus concedit, dummodo id fiat in Domino, h. e. honeste, decenter, & juxta quod legibus præscriptum est, omnia peragantur.

Ineptus itaque est Henricus à Wagenerbeck Jesuita, in Comment. Exeget. Sacror. Canon. quando per duo hæc Capita corrigi dicit leges istas Civiles, quæ infamiam irrogabant nubenti intra annum luctus, ne turbaretur sanguis. Canonas autem istos liberare talem mulierem ab omni infamia & pæna, quæ exprimitur l. i. C. de Secund. nupt. & in similibus legibus; neque enim debet dici infamis, inquit, aut culpabilis, in foro ci-vili, ex quo per Ecclesiam & licentiam Apostoli, infamia & pæna remissa est. Hæc ille. Denique, qui bina sponsalia, binasq; nuptias eodem tempore constitutas habet. Et hi quidem sunt, quos Julianus JC. l. l. b. t. nobis exhibet; quibus etiam connumeratur,

B

qui

qui lege Julia de adulteriis fuit damnatus miles , qui ita infamis erat , ut etiam ipsa sententia eum sacramento , ignominiae causa , solveret , ut ait Ulpianus l. 2. §. 3. b. t.

§. 9.

Scenicas personas quod attinet , hominibus Ethnēcis , sive , ut nunc loquimur , paganis , scenas & theatraicos ludos , sive Comœdias , magis fuisse odiosas , quam hodiernis Christianis , haud abs re miratur Brannemannus ad l. 2. ff. b. t. n. 2. cui non refragatur Job. Jacob. Wissenbach Part. 1. Disput. H. §. 15. qui in scenam pronunciandi causa , prodeuntes merito notari infamia scribit , quod omnia in theatris pietati & honestati contraria fiant , eaq; sint turpidinis vitiorumq; omnium sentina & schola . Atro proinde carbone notari Alberici Gentilis de Actoribus & spectatoribus fabularum Disputationem mereri , dicit ; contra vero Jacobi Tichleri de Comœdiis Tractatum Lectoribus commendat .

§. 10

Quo apud nos hodie loco habeantur id genus homines , notissimum est , neque nos ulterius morabitur ; unicūn tantummodo non possum quin addam , apud Romanos olim in tanto odio fuisse videri Scenam , ut , si artem ludricam quis fecisset , h. e. in scenam propter præmium sive quæstum prodiisset l. 2. §. 5. ff. de his qui not. inf. famosus esset , si miles , capite puniretur , l. 14. ff. de Pœnis ; Ex qua lege , ut id velut in transitu hic moneamus , appareat , aut colligi saltem potest , majorem honoris & existimationis confer-

servandæ curam, militi quam pagano, incumbere; de quo quidem negotio pluribus hic ut agatur, propositum haud patitur.

§. II.

Et hæc fere sunt Delicta, quæ Edicto notantur; progredimur ad ea, quæ lege notari dicuntur. Vocabula *Lex latius b. l.* sumitur, prout Juri Prætorio opposita, reliquas Juris Romani species complectitur. Ita SC&to vetitum fuit *in pecuniam ludere*, l. 2. §. 1. ff. *de Aleat.* ubi tamen, quivirtutis causa fiunt, ludi nominatim excipiuntur. Porro huc referuntur & alia Delicta, ex quibus infamia consequitur; ita infamiam irrogat Crimen Stellionatus, l. 13. §. ult. ff. b. t. notatur etiam fœmina, quæ per Calumniam, ventris nomine in possessionem missa est, dum se asseverat prægnantem, cum non esset prægnans, aut ex alio concepisset, l. 15. & seq. ff. b. t. nisi falsa existimatione decepta est, l. 13. ead.

§. 12.

Ulterius huc pertinent, *Improbum fœnus & usurras usurarum exigentes.* Improbum fœnus dicitur, quod solitam, legibusque permisam quantitatem excedit, de quo negotio agunt Dd. ad Tit. ff. & C. de usur. Add. Recess. Imp. de Anno 1577. Rubr. von wucherlichen Contracten; add. Carpzov. Pract. Crim. Quæst. 92. II. *Expilatio hereditatis*, quæ, licet furtum dici proprie nequeat, quod hereditas vel omnino non sit adita, vel nondum possessa, l. 2. §. 1. ff. *Expil. hered.* ejus attamen eadem est infamia, quæ furti improbioris, Brunnemann. ex aliis quos adducit, ad l. 12.

B 2

C. Ex

C. Ex quibus caus. infam. irrog. cum ex pilatores sint fures atrociiores, l. 1. §. 1 ff. de Effract. & Expilat III. Perjurium. C. Infames & C. Quicunque sciens 6. Quæst. I. Requiritur autem perjurium dolosum, non inconsulto, aut iracundiae calore fervente factum. Referri huc possunt lex. 2. c. de Reb. cred. & l. 2. c. ad l. Jul. Majest. IV. Sepulchri violatio, quippe cuius actio infamiam irrogat, notante ad Edictum Ulpiano l. 1. ff. de Sepulch. viol. Sed quo procedimus? Plura adhuc alia, ex quibus infamia homines notantur, Crimina recensent Dd. Add. Wesenb. ad b. t. Nos enim hic jam quidem subsistimus.

§. 13.

Ad horum vero, qui infamia laborant, classem referri neque possunt, neque debent I. qui non sua, sed fortunæ adversantis culpa ad angustias redacti, bonis cedere, h. e. bona creditoribus offerre coguntur; licet n. ex ea causa bona eorum venierint, infames attamen non fiunt, de quo negatio videndi Dd. ad §. fin. de Action. l. I. C. Ex quib. caus. infam. irrog. & ad Nov. 135. II. Qui in carcerem conjectus est, vel cui vincula sunt injecta, l. I. C. eod. quod Carcer ad custodiam, non ad pœnam comparatus esse, Jure Civili dicatur, Brunnemann. ad d. l. I. C. b. t. III. Qui ictus fustium sustinuit, cum non ictus, sed causa, propter quam id pati quis meruit, infamiam damnatio iroget, l. 2. ff. & l. 16. c. b. t. IV. Legitimatus per subsequens matrimonium, l. 5. & l. 10. c. de Natural. lib. C. 14. Qui lib. sint. legit. Gravior est, quam de eo, qui imprægnatam ab alio duxit uxorem, Carpzovius part. 2. C. 6. Def.

*Def. 14. movet Quæstio; An, qui talem commubio postea
sibi junxit fœminam, ab opificum collegio removeri aut
excludi propterea possit? Quod negat. Verum, si,
quemadmodum rem hanc ipse proponit, &, quibus
utitur, Rationes, curatius quis examinet, an tales
sint, quibus valide sustineri hæc sententia possit, non
absque causa quis fortasse dubitabit. Nostra senten-
tia hæc est; distinguendum esse, An (quod fieri non-
nunquam solere, exempla testantur) malis artibus se-
ducta, aut per vim stuprata, aut spe matrimonii futuri,
bujusq; promissione nequiter inducta, aliisve modis at-
que artibus illicitis circumventata mulier, in hunc amis-
sæ pudicitiæ casum devenerit? Sed quo dilabimur?*

§. 14.

*Ex hac Infamia (quippe quæ macula est, Existi-
mationi, ejusq; valori ac integritati adversa) tan-
quam Causa, insignes profluunt effectus; quos in-
ter, primo ac præcipuo loco se offert, quod dignatum
portas præcludat illis, quos ab honestorum cætu segre-
gavit, l. 2. c. de dignit. add. c. pen. de R. J. in 6. Habn.
ad W esemb. b. t. n. 3. Deinde secundo, quod inducas
Querelam inofficiosi, per quam fatres consanguinei,
contra testamentum fratri sui, vel sororis, si scri-
pti heredes, infamiæ, vel turpitudinis, vel levis no-
tæ macula adspergantur, de inofficio querelam
movere possunt, l. 27. c. de inoff. Testam. §. 1. Inst. eod.
ibiq; Dd. Tertio; quod repellat à Querela inofficiosi,
l. 11. c. 19. eod. quarum prior de filio arenario,
quem sua indignum successione pater judicavit; altera*

B. 3;

vero

vero de filia turpiter, & uti Imperatores dictæ legis autores loquuntur, cum flagitiosa fœditate vivente agit, quam pater exheredem facere, & à successione sua excludere volebat, cui liberum postremi judicii arbitrium permittunt Imperatores. Quarto; Quod ad dicendum testimonium inhabilem faciat, l. 3. pr. & §. 5. ff. de testib. quod tamen de infamia Juris tantum intelligi volunt nonnulli, quibus non adstipulatur Wesenbecius ad h. t. n. 7. ubi his verbis utitur; Et certe hodie, inquit, deturpati infamia facti, testes esse possunt, quamvis eorum testimonium non sit omni exceptione majus. Adde iHabnium ibid. n. 8. ubi dicit, Infamiam facti attenuare testimonium, & quamvis hoc referat Bachovius ad infamiam juris, & ita restringat legem 2. c. de Dignitatib. idem tamen & de infamia facti, ob textus generalitatem, modo de turpi facto constet, recte asseritur. Quinto; à postulando & judicando removeat l. 1. §. 5. & 6. ff. de Postul. l. 2. c. de Dignit. l. 2. ff. de Senator. Et hi quidem si non omnes, saltem ex præcipuis sunt, & qui nobis jam quidem sufficere possunt, infamiae Effectus. Vid. Dd. ad Tit. b. ff. & c.

§. 15.

Factum istud probosum, ex quo labes hæc oriuntur, cum vel Jus ipsum notet, vel virorum gravium ac honestorum relinquit censuræ, in eam, quæ Juris est, & quæ Facti dicitur, Infamiam dividi, in vulgus jam pridem enotuit. Quæ Juris dicitur, describi potest, Labes, quæ ex facto turpi, per legem notato provenit, sive, quam ex turpi facto per legem notato, lex ipsa

ipsa decernit. Faciunt huc *Lex octava*, & *vigesima*
c. Ex quib. *Caus. infam.* irrog. quarum prior *de furti*
condemnata, posterior *de fæneratore improbo agit*.
 Neque interest, *immediate hoc fiat*; quando nempe
Factum aliquod Edicto aut Lege notatur, ita ut illud
 committens ipso jure sit infamis; *an mediate*, per
Judicis sententiam, in *Causis scilicet, ex quibus damna-*
tum sequitur infamia. Quales *ex Contractibus*, &
quasi Contractibus provenientes *Actiones* sunt, *Actio*
pro Socio, item *directæ Mandati, Depositi, Tutelæ*; *ex*
Delictis vero, *Furti, Vibonorum raptorum Injuriarum,*
Doli, & similes aliæ.

§. 16.

zijst Quod de prioribus quatuor *Actionibus* diximus,
 cum hac restrictione intelligendum est, *si modo in*
bis ex dolo quis condemnetur, §. 2. *Inst. de Pœna tem-*
litig. argt. l. 6. §. 7. ff. b. t. *cui an in hoc negotio æqui-*
paretur lata culpa? nondum convenit inter *Docto-*
rcs; neque *ex* §. 6. *Inst. de Suspect. tut. contrarium*
 solide evinci, nonnullis perswasum est. Videtur at-
 tamen id affirmandum ex l. 7. §. 1. ff. eod. *Suspectos*
 tutores ex dolo, non etiam eos, qui ob negligenc-
 iam remoti sunt, infames fieri, manifestum esse,
 rescribunt *Imperatores Diocletianus & Maximianus*
l. fin. c. de Suspect. tutor; si tamen manifesta appa-
 reat *culpa lata*, videri poterat affirmanda *Quæstio*,
 ob l. 226. ff. de *V. S.* ubi dicit *Ic. Paulus*, *Magnam*
negligentiam culpam esse; magnam culpam dolum esse.
 Sed quo progredimur? Et hæc jam quidem de *In-*
famia Juris dicta sic sufficient.

§. 17.

Sequitur Infamia Facti ; quæ non ideo dicitur Facti , quod prior illa non etiam ex Facto proveniat ; sed hanc solummodo ob causam , quod è tali factio hæc oriatur , quod lege notatum non est . Describitur labes , ex turpi quidem facto , sed per legem non notato contraria , quæ famam & existimationem , apud honestos & bonos viros gravat , argt. l. 13. c. Ex quib. Caus. infam. irrog. l. 2. ff. de Obs. parent. & patron. præst. Pertinent huc porro l. 10. & 22. ff. de his qui met. inf. l. 27. c. de Inoff. Testam.

Et quidem Lex. 13. c. b. i. de increpatione patris , in testamento facta , agit ; quod infames quidem filios hæc non faciat ; apud bonos & graves attamen opinionem ejus , qui patri displicuit , oneret . Porro quia Infamia Facti sequitur eum , qui doli , aut injuriarum condemnatus est , ut per Procuratorem egerit , honori parentum ac patronorum hoc tributum est , ut , quamvis per Procuratorem judicium accipiant , nec actio de dolo , aut injuriarum in eos detur , l. 2. pr. & l. 5. §. 1. ff. de obs. par. & patron. præst. ibiq; Dd. Lex 10. ff. de his qui not. inf. agit. de muliere , quæ à Principe impetravit , ut intra legitimum tempus nubere ei liceat , ut effugiat pœnam legis i. c. de Secund. Nupt. Lex. 22. ff. De his qui not. infam. de ictu fustium concepta est ; cuius autor Marcellus , Ictus fustium , inquit , infamiam non irrogat , sed causa , propter quam id pati meruit , si ea fuit , quæ infamiam damnato irroget , in ceteris quoque ge-

generibus pœnarum eadem forma statuta est ; cum non ipsa pœna , sed causa pœnæ , & quidem non prætensa , sed probata , reddat infamem , quemadmodum ad d. l. dicit Brunnemannus n. i. qui recte quoq; ad d. l. n. ult. dicit , ex hac lege confutari posse sententiam Wesembecii , qui præter legem & sententiam , admittit tertiam causam infamantem , scil. genus pœnæ ; sed bas pœnas , ait , sententiam vel decretum prærequirere , & ideo sententiam infamare . Ad extremum Lex 27. C. de Inoff. Test. fratres & sorores uterinos à querela inofficiosi penitus , h.e. uti recte in Notis addidit Gotfredus , etiam infami persona instituta , arcet ; consanguineos vero , ac multo magis Germanos , si scripti heredes infamiae vel turpitudinis , vel levis notæ macula adspergantur , ad movendam de inofficio Querelam admittit .

§. 19.

Hanc , facti quam diximus , infamiam dividunt aliqui in eam , quæ proprie , & quæ improprie talis est . Illam esse dicunt , quæ ex Facto proprio prognascitur , utut factum istud lex non notaverit , sed honestorum & gravium virorum censuræ reliquerit . Tale factum turpe non est Cessio honorum , quæ non infamat , l. ult. c. b. t. pr. l. II. c. Ex quib. Caus. inf. irrog. Improprie talem esse volunt , quæ ex facto proprio non provenit , sed vel ex nulla , vel certe aliena causa imputatur ; quæque adeo non tam re ipsa , quam opinione potius nititur .

C

§. 20.

§. 20.

Cum infamia , de qua hactenus ex instituto est à nobis actum , ea præsertim quæ *Faci* dicitur , quandam habere affinitatem videntur , *Levis notæ Macula* quæ dicitur , ut & *Vilitas*. Illa describi vulgo solet *labes* , ex *vitio* , quod *nativitati* . s. *natalibus* conbæreret , *potissimum contracta* . Hæc cum primis afficit spuriros , aliosq; illegitime natos , & quidem absque discrimine , quod ex *lege 6. pr. ff. de Decurion.* ubi spuriis ex incepto nati junguntur , colligi posse videtur . Et hi quidem omnes nihil admiserunt d. l. 6. ff. b. t. cum nasci de adulterio ; ut inquit *Hieronymus c. 5. Dist. 56.* non sit ejus culpa qui nascitur , sed illius qui generat ; unde & spuriros in ordinem allegi posse , nullam dubitationem esse , dicit *Ulpianus l. 3. §. 2. ff. de Decurion.* quod non impedienda sit dignitas ejus , qui nihil admisit . d. l. 6. pr. ff. b. t. neque Patris delictum innocentis filio pœnæ esse debeat , l. 2. §. 7. ff. eod. Si vero competitorem habeat legitime quæsitum , præferri hunc debere , *Divi fratres rescripserunt d. l. 3. §. 2. ff. eod.*

§. 21.

Tametsi vero hæc , *levis notæ* quæ dicitur , *Macula* (quod ipsa quoque appellatio subindicare quodammodo videtur) hanc vim non habeat , quod Existimationem plane tollat , hujus attamen integritati haud parum intercedere , deque ea delibare , non omnino negandum est , & quæ *JCtis adducuntur* ,

ex-

exempla satis evincunt. *Vid. l. 3. §. 2. ff. de Decurion.*
l. 27. C. de Inoffic. Testam. C. Pervenerabilem XIII. Qui filii
sint legit. & quæ ad hoc in Exposit. nugatur Lojolita
Henricus Wagenerbeck. Accedit, quod Macula hac
 notati non possint dicere testimonium, quod omni
 majus exceptione habeatur, *argt. l. 3. pr. & §. 5. ff.*
de Testib. ibiq; Dd. add. l. 2. C. de Dignit. Postremò
 quod in Collegia Opificum non facile recipiantur ta-
 les, *Richter part. 2. Decis. 80. n. 19. & aliquot se-
 quent.*

§. 22.

Hæc tamen macula longe abèst, neque imputari
 ullo modo potest iis, qui à Personis desponsatis, an-
 te solennem in domum mariti deductionem, & ce-
 lebritatem nuptiarum, aut, uti nunc frequentius lo-
 quimur, ante *legoλoyίαν*, sive *benedictionem sacerdotalēm*, sunt nati, cum Nuptias non concubitus sed con-
 sensus facere dicatur, *l. 30. ff. de R. J. add. l. 22. C. de*
Nupt. l. 66. ff. de Donat. inter vir. & uxor. C. 1. de
Sponsal. ac proinde talis in matrimonio & ex matri-
 monio natus sit, licet ob mortem alterutrius, bene-
 dictio Sacerdotalis non sequatur, ut inquit. *Brun-*
nemann. ad l. 27. C. de Inoff. Testam. n. 6. Addatur
Carpzov. Jurispr. Forens. p. 3. c. 14. def. 12. Atque
 ita Facultas nostra Anno 1684. me interprete, re-
 spondit.

§. 23.

Sequitur *Vilitas*; *vile* dicitur, quod nullius pre-

C 2

tis

tum est, aut parvi fit; hinc vilitas, quæ caritati opponitur bonæ Latinitatis Autoribus. Ita Cicero pro domo, subito, inquit, illo ipso die carissimam annonam nec opinata vilitas consecuta est. Eodem modo Orat. pro leg. Manil. Tanta repente vilitas, ex summa inopia & caritate rei frumentariae consecuta est. Nobis b. l. Vilitas est Labes, ex sordido aut contemptu munere, quod quis obire tenetur, contracta. Et hoc quidem modo viles vulgo habentur Carnifices, Litigatores, Commentarienses, vespillones, castratores porcorum & suum, idque genus alii. Quinimo non nulli sed male, huc quoque referunt chirurgos, sive, rectius ut dicamus, barbae tonfores, molitores, textores, opiliones, balneatores; quos tamen egregie tueruntur Ordinatio Politica Anno 1577. Francofurti aucta & emendata, Titulo 38. Von Handwercks Söhnen / Gesellen / Knechten / und Lehr-Knaben.

§. 24.

Carnificem quod attinet, tametsi extra mœnia hunc olim, teste Tullio in Orat. pro C. Rabirio, ablegaverint Romani, & hodieç sint, qui inter infames (saltem facto tales qui habentur) reponant; his tamen assentiri nequaquam possumus, eo quod delinquentibus pœnas infligere, non tam infame, quam honestum ac gloriosum facinus habendum sit; & retissime proinde Speidelius in Speculo Observat, in Voce Hendter / si honestum est, inquit, judicem in sceleris.

leratos capitalem ferre sententiam, quomodo illius executio turpis atque ignominiosa dicenda? Accedit, quod antiquissimis temporibus, per homines honestos supplicia sotibus inferrentur. Ignotum apud Israelitas carnificis nomen fuisse, certum est. Lapidationes à populo siebant; de quo negotio videatur Zepperus Explanat. Legum Mosaic. l. 5. de Urbis Reutlingæ Civibus notissimum est, apud illos olim qui novissimus in Senatum cooptatus erat, sententias exsequi debuisse; de quo more videatur Joachimus Camerarius Horar. subcisi. Cent. I. c. 76. Cur hodie viliores habeantur hi homines, eorumq; Existimationi detractum videatur exponit Georgius Rittersbusius de Jure Asylorum, Zepperus c. a. l. Vitam homini in honestam, moresque turpes, causam adducit, quod hi fere sint tales, quos, ut verba habent, non officium, sed ipsi potius suis moribus polluant officium. Plura de his qui desiderat, evolvere potest Speidelium ut & Befoldum in Voce Henker/ Scharffrichter.

§. 25.

Sequuntur *Lictores*; à ligando juxta Agellum, l. 12 c. 3. dicti; Græcis ἡράθεχαι & ἡράθεοφόροι, quod virgas præferebant, dicebantur; εἱβδος enim Græcis *Virgam* notat; ἀπὲ τῆς ἡραίσεων, ἢ παρὰ τοῦ ἡραῖος ποτὸν βαδίζειν, à cædendo sive percutiendo, aut, quod facilius & expeditius incedere quem faciat, ut habent Lexicographi; Magistratibus hī apud Romanos aderant,

rant, eosq; precedebant, & fasces preferebant; castigandis etiam crura & manus vincire lictor solebat. Horum causam agit Carpzovius, Decis. part. 2. Decis. II. Hos nonnulli male confundunt, cum Commentariensibus ὑπομνηματογράφοις Græcis qui dicebantur, quod in Commentarium custodias referrent, ad quas receptarum personarum custodia observatioq; pertinebat, ceu rescribunt Impp. Valentinianus, Valens, & Gratianus, l. 4. C. de Custod. Reor. Horum vero officia quamquam & ipsa videri inferiora poterant, nihil attamen maculæ adspergunt. Vespillones, qui & vispelliones, l. 7. ff. ad Sc. Trebell. & l. 72. ff. de Solut. & Libitinnarii olim Romanis, νεκροφόροι & νεκροθάπαι Græcis, quod mortuos efferrent, & sepelirent, appellatione commodiore dicti fuerunt. Vespas & Vespillones dictos, qui funerandis corporibus officium gerant, non à minutis illis volucribus, sed quia vesperino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam negeunt, ex Festo ad Suetonium notat Joannes Schil-dius in Domitiano. Horum hominum opera quod sit omnibus perquam necessaria, & humandis defunctorum corporibus, quæ honeste haberi fas est, deserviat, cur fama laborantibus, aut æstimationis dubiæ personis hos accenseant aliqui, causam profecto non video. De his videatur Besoldus Thes. Pract. in Voce Todten-Gräber. Pro Castratore porcorum & suum, Facultas nostra Anno 1682. Mense Augusto & Anno 1699. mense Januario respondit.

Extremum occupabit *Excoriator*; quem *foricatorem* quoque non male quis fortasse appellitaret, à *foricis*, quibus expurgandis etiam solet, hodiernis præsertim temporibus, adhiberi. Hic et si præ cæteris, ob sordidissimum, quod obire tenetur, munus, vilis appareat, & ab omnibus habeatur, liberos attamen ad opificium aliquod addiscendum admitti debere, responderunt JCti Jenenses, teste Richtero Decis. 80. n. 25. & recte quidem, quod nulla neque *furis*, neque *fæci proprii infamia* laborent, neque vitium aliquod nativitati hactenus cohæreat. Ipse quinimo excoriator turpis quidem, h. e. ut rectius dicamus, vilis & despecta, non tamen infamis persona est, Idem c. l. n. 24. ubi allegat Schneidevignum ad §. 1. Inst. de Inoff. testam. n. 17. qui pro turpibus personis habet *Usurarios, infames, excoriatores equorum, lusores, & ebrios*, rectius dixisset *ebriosos*; Quis vero usurarios, lusores, ebriosos, pro turpibus, ne dicam, infamibus personis hodie habet? Certe ebriosos, & qui præ cæteris strenui cantharo bellatores, amplos evacuare scyphos, & torquere mero, & magnis urgere culullis alios possunt, in Regum Principumq; Aulis aliquibus, in pretio haberri, cui quæso ignotum est? Idem de lusoribus sive aleatoribus est judicium.

aut averti Infamia potest ; quæ sunt I. *Restitutio ius integrum*, facta à Principe ; quæ talis est actus, per quem princeps non tantum pœnam remittit, hujusq; gratiam facit, sed & famam restituit, l. i. §. 9. & 10. de postul. ibiq; Dd. & Brunnemann. n. 21. II. *Eius quod debetur*, aut pœnae oblatio ante rem judicatam facta ; qua interveniente, evitari infamiam, eumq; cum quo actum est absolutionem consequi posse, imo officio judicis convenire, reum absolvere, docet *Prineps* §. fin. de Perpet. & tempor. Act. add. l. 73. ff. de Procurat. Gail. l. 2. Obs. 103. III. Si per Procuratorem in Judiciis famosis Civilibus aut Criminalibus, in quibus Procurator admittitur, litiget Reus, Wesenb. b. t. n. 9. Ad extremum, si Existimationem Reo, in sententia, expresse Jūdex præservet. Plures modos alii addunt, & septem Wesembecius nobis ad h. l. recenset, superioribusq; à nobis hic ad ductis adjicit. (1) *Pactum aut Transactionem, pretio dato*, Prætoris jussu factam, l. 6. §. 3. ff. b. t. (2) Si Jūdex recedat à pœna ordinaria, & duriorem imponat; quod pœna gravior ultra legem imposita existimationem conservet, l. 13. §. 7. ff. b. t. ad quam videatur Brunnemann. n. 8. & duob. sequentibus. (3) Si condemnatus à sententia provocet, & pendente appellatione omni opera hoc, quantum potest, agat, ut priusquam altera sententia sequatur, lis quocunque modo componatur.

§. 28.

Prius ab infami hoc argumento quam discedamus,
mai-

unūcum adhuc superare videtur disceptandum; quandoquidem *Infamia* semel irregata dicitur esse perpetua, adeo quidem, ut neque facti pœnitentia tollatur, l. 43. §. 4. de Rit. Nuptiar. & l. 63. ff. de Furt. quærendi lubido subit; An nimirum, si pœna temporalis fuerit, quæ infamiam irrogat, post illud etiam tempus perduret infamia; An tempore illo elapso, ipsa quoque cesseret? Aliqua distinctione opus hoc habere, dicit Wesembecius ad b. t. n. 8. nimirum distingvit; Utrum scilicet *Infamia* imponatur ex Causa, sive Crimine, quod ipso jure infame est; an vero ex causa arbitraria? ibi, inquit, omnino dicendum est, perpetuo dedecus adhærere, etiam si pœna tantum temporalis sit imposta. At ubi delictum est punitionis arbitrariæ cui non Lex turpitudinis pœnam præstituit, sed judex, tunc arbitrator, inquit, notam unam cum animadversione durare & extingui: ut, si coercitio sit temporalis, puta quinquennale exsilio, infamia quoque eodem tempore duret, & post cum pœna extingvatur, neque accessorium diutius duret, quam principale, l. 3. & 4. C. Ex quib. Caus. inf. irrog.

§. 29.

Agit etiam de Negotio hoc Brunnemann. ad l. 5. ff. de Decur. ubi dicit, si crimen sit ignominiosum,

D

ad

ad tempus ordine motos in perpetuum infames & mo-
 vendos , aliud , si ob levius delictum ; nam transacto
 tempore , motos non esse inter infames habendos . Mox
 addit ; pænam banc , ut nimis asperam , Constitutio-
 nibus Imperatorum emollitam esse . Ad legem octa-
 vam ff. de Postul. , finita pæna Remotionis , & Relega-
 zionis finiri infamiam , dicit ; sed legem sextam C. b. t.
 contra esse . Addit porro , distingvere alios inter Cri-
 mina ; alios inter Responsa Jure Consultorum & Im-
 peratorum , quod ultimum , inquit , placet . Adde
 eundem ad l. 6. C. Ex quib. caus. Infam. irrog. ubi
 verbis expressis dicit , presupponendum est , hic agi de
Crimine famoso , ob quod dedecus perpetuo adhæret ,
 licet temporalis relegatio sit dictata ; secus vero , quan-
 do Delictum est punitionis arbitrariæ , ubi lex præcise
 turpitudinem non irrogat , sed judex . Ex quibus ap-
 paret , in eadem cum Wesenbecio sententia fuisse
 Brunnemannum , quæ nobis quoque non displicet ;
 sed secundum hæc utique credimus , exponendam
 esse legem allegatam 6. c. d. tit. Add. Carpzov. Pract.
 Crimin. Quæst. 135. n. 59. & seqq. ubi distingvit , An
 infamia imponatur ex causa sive Crimine , jure fa-
 moso , an vero ex causa arbitraria ? Et priore casu
 omnino dicendum esse , dedecus perpetuo adhærere ,
 etiam si relegatio temporalis fuerit imposta ; quod le-
 gis

gis effectus sit perpetuus , quæ delictum solummodo considerat , & infamiam irrogat , quæ non revocatur , amplius , sicut nec ipsum delictum cui accedit , cum factum non possit reddi infectum . Quare , pergit idem , si Lex alicui delicto maculam irroget , pœna à Judice , etiam cum temporis determinatione expressa , nihil immutat , quo minus infamia sit perpetua ; & ita accipienda , inquit , Lex 6. C. Ex quib. caus. infam. irrog. hocq; est , quod dicitur , non posse Præsidem Provinciæ efficere , ut furti damnatum non sequatur infamia , l. 63. ff. de Furt. quod tamen , inquit , efficere posset , si pœna temporali adjecta , post lapsum tempus illa non remaneret . Hæc ille . Quod vero Cujacius l. 7. Obs. 19. tradit , Jure ad tempus Ordine motum ex criminis famoso , etiam post tempus , infamem manere , Constitutionibus vero post tempus labem pudoris elui , quomodo probari possit , non appareat , cum huic adsertioni dicta Lex. 6. C. b. tentoria voce reclamet . Juris appellatio , citato loco ita sumitur Cujacio , ut cæteras Juris Romani partes sive species omnes , extra Principum Constitutiones , comprehendat : quam in rem adducit duas leges ; prima est l. 33. ff. de Condit . & Demonstrat . in cuius principio Marcianus JC. Jus Civile , Constitutionibus , h. e. principum aut Imperatorum legibus op-

D 2.

po-

ponere videtur ; altera est *Lex 4. §. 14. de Doli malorum*
met. Except. cuius autor Ulpianus Constitutionibus
Sententias autorum, h. e. Responsa Prudentum con-
tradistingit. Sed leviora fortassis videri talia pot-
 erant, illis præsertim, qui ad Juris prudentiæ soli-
 doris Arcem viam affectasse, pro maximi quidem
 moliminis, sed fructus perexigui labore habent,

Et hæc jam quidem, *de Infamia*
ex proposito dicta sic
sufficient.

Soli Deo Gloria !

